

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

M.A. Level Medieval Latin Examination

3 September 2003

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. **Jesus gives His mother a treat (Infancy Gospel)**

Factum est ut beata Maria quodam die prae nimio calore solis fatigaretur, et videns iuxta viam arborem palmae pulcherrimae dixit ad Joseph: 'Vellem paululum requiescere sub umbra huius arboris.' Joseph vero festinans duxit eam ad palmam ac de iumento fecit eam descendere. Cumque beata Maria ibi resedisset, respexit ad comam palmae viditque eam plenam pomis, et dixit ad Joseph: 'O, quam desidero, si fieri possit, ut ex fructibus istius palmae perciperem!' Cui Joseph: 'Miror te, Maria, haec dicere, cum videris quantae altitudinis sit palma ista, quod de fructibus eius cogitas edere. Numquid aliquis de nobis alas habet, ut volare possit in summitatem palmae? Noli hoc cogitare, exoro te. Ego magis cogito et contristor de penuria aquae, quae nobis iam deficit in utribus nostris; nec habemus unde pecora nostra et nos refocillare debemus.' Tunc infantulus Jesus laeto vultu in sinu materno residens ait: 'Flecte, arbor, ut de fructu tuo reficiatur mater mea et qui cum ea sunt!'

2. Solomon and the Queen of Sheba

Sed et regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in aenigmatibus. Et ingressa Jerusalem multo cum comitatu, et divitiis, camelis portantibus aromata, et aurum infinitum nimis, et gemmas pretiosas, venit ad regem Salomonem, et locuta est ei universa quae habebat in corde suo. Et docuit eam Salomon omnia verba quae proposuerat: non fuit sermo, qui regem posset latere et non responderet ei. Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam aedificaverat, et cibos mensae eius, et habitacula servorum, et ordines ministrorum, vestesque eorum, et pincernas, et holocausta quae offerebat in domo Domini: non habebat ultra spiritum. Dixitque ad regem: 'Verus est sermo quem audivi in terra mea super sermonibus tuis, et super sapientia tua; et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit: maior est sapientia et opera tua quam rumor quem audivi.'

3. Poverty and riches (St. Edmund of Canterbury)

Quidam habent divicias et diligunt eas, ut avari et cupidi. Quidam non habent, sed habere desiderant et diligunt et cupiunt, ut mendici miseri et falsi religiosi. Tales autem non minus divites reprobri sunt quam priores, aut etiam habentibus diciores et in hoc etiam deteriores. Quidam habent eas sed non diligunt eas; tamen possidere volunt, et non ab eis possideri, ut proprium, sed ad bonum usum et utilitatem proximorum, ut boni seculares bene sua dispensantes. Sed pauci sunt tales. Quidam autem sunt tales qui nec habent nec habere cupiunt nec eas diligunt nec omnino possidere volunt, ut sunt sancti viri vere religiosi. Hii sunt vere pauperes quorum est regnum celorum. Hec ergo est pauperum benedictio, cui contraria est divitum maledictio. Si ergo beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum celorum, possum e contra dicere: maledicti divites quoniam ipsorum sunt tormenta tartarorum.

4. Mercy befits a king (Bower)

Multum michi videtur quod rex in hoc facto esset commendandus, qui, tamquam legislator et qui debuit et potuit transgressionem punire, attamen misericordia motus ignoscere preelegit. Et quamvis canones dicant quod expedit reipublicae ne crimina remaneant impunita, tamen Augustinus, recitans quomodo quidam poeta in laudem Caesaris exsurrexit, dicit: 'Longe melius et humanius, et piorum sensibus accomodacius, in Caesaris laude locutus est ubi ait: "Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior nec graciosior misericordia."'" Rex enim clemencie et misericordie indulgens, de facili non potest deperire, quia ut scriptum est Proverbiis xx: 'Misericordia et veritas custodiunt regem.' Nam, ut dicit Seneca libro de Clemencia: 'Officium regis principaliter est ut remittat.' Unde dicit: 'Nullum ex omnibus clemencia magis quam regem decet. Pestifera,' inquit, 'vis est preesse ad nocendum.' Nam principum crudelitas bellum est; clemencia vero, in quamcumque domum introierit, eam felicem et tranquillam prestabit.'